C

LOCVS.

Apuleius locis cultis, pratis ac hortis nasci, raramq; inuentu herbam hanc tradit. Nostrum Acorum iuxta amnes, & passim in aquosis & palustribus locis prouenit.

TEMPVS.

Legitur radix Acori æstatis initio, & siccatur in umbra digitalibus frustis.

TEMPERAMENTVM.

In calefaciendo & desiccando tertij est ordinis. Nostrum quidem desiccat, at citra calefactionem.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Acori radix calefaciendi uim habet. Decoctum eius potum, urinam cit. Prodest lateris, thoracis & iecoris doloribus: torminibus, ruptis, conuulsis. Lienes minuit. Vrinæ stillicidio, & uenenatorũ morsibus subuenit. Insessu, quemadmodum Iris, ad muliebria utilis est. Succus radicis caligines oculorum discutit. Antidotis præterea radix utiliter miscetur.

EX GALENO.

Acori utimur radice quæ gustu acris est, & modicè amara, odoreq; non iniucunda. Hinc manifestum est hanc facultate calidam, & cõsistentia tenuium partium esse. Huic consentaneũ est, ut urinam moueat, & lienes induratos iuuet, tum corneæ membranæ crassitiem detergeat simul atq; extenuet. Ad hoc autẽ melior est ipsius succus. Omnino uero siccificum esse clarum est.

EX PLINIO.

Vis ei est ad calefaciendum extenuandumq; efficax, contra suffusiones & caligines oculorum succo eiusdem poto, cõtraq; serpentes. Pectoris doloribus subuenit, & ideo antidotis miscetur. Iecinori medetur, thoraci quoq; & præcordijs. Vrinam cit eius decoctum, & omnia ueficæ uitia sanat. Testium tumores radix decocta in uino, tritaq; & illita mirè discutit. Duritias & collectiones omnes sanat, decocto huius herbæ fouentibus. Cõtusis & euersis pota duobus obolis in mulsi cyathis tribus radix prodest. Acoron quoq; utile est interioribus fœminarum morbis.

D

ACORI OFFICINARVM VIRES.

Acori adulterini facultates.

Gustus abunde monstrat eius radicem immensam adstringendi facultatem obtinere. Hinc est quod diuersam planè à ueri Acori radice uim sortita sit. Nam ut hæc tenuium est partiũ & facultate calida, atq; adeò detergit, extenuat atq; discutit: ita illa consistentia crassarũ partium, ac facultate frigida, constringit, densat, cogit & contrahit. Quare urinam nõ cit, ut uerum Acorum, nec menses euocat, sed potius supprimit. Sanguinem etiam undecunq; manantem cohibet. Proinde recte Pandectarum autor scribit, eum qui secum Acori radicem gestet, à nullo sanguinis profluuio corripi. Et ex recentioribus aliqui hanc facultatem Acori nostri obseruarunt, atque hinc adeò tradunt eius succum igne expressum, menses nimium promanantes constringere posse, id quod certè de Acoro affirmare uanissimũ erit. Ex ijs itaq; intelligent iam seplasiarij, quis usus nostri etiam in medicina sit Acori: nec cõmittent, ut fanatici cuiusdam, qui nuper Morophrasti impudentis hominis pestilentissimas nugas & ineptias tegere, atq; adeò epistola aliqua operi illius temerè præfixa cõmendare, ac præillo monstro reliquos omnes medicos, si dijs placet contemnere ausus est, cõsilio obsecuti, hoc prorsus abijciant, cum illius immensa sit adstringendi, quod demonstrauimus, facultas.

De Althæa



ALTHAEA